



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. An & quomodo jus patronatûs per venditionem transferri possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. IV.

An & quomodo jus patronatus per venditionem transferri possit?

**P**er se, & solitariè vendi non potest jus patronatus, sine Simonie vitio, ut constat ex *de iure 16. h. t.* cum enim jus patronatus sit vel intrinsecè spirituale, vel saltem spirituali annexum, ut ex dictis patet, consequenter pretio temporali, sine Simonie vitio, comparari non potest; quem modum in alios transferendi jus patronatus prohibet etiam Tridentinum, sub penis canonicis excommunicationis, interdicti, & privationis juris patronatus; ac pecunia pro eo ecclè mendo expensa, nec emptori, nec venditori acquiritur, sed applicari debet Ecclesie, cui per Simoniam injuria facta sit: per accidens tamen, & concomitanter, vendendo rem temporalem, quæ continet plura jura, cui annexum est jus patronatus, transferri hoc etiam per venditionem talem accessoriè, habetur in *e. ex literis 7. h. t.* (nisi specialiter hoc jus sit exceptum) quia in tali casu contractus censetur initus super rebus temporalibus, & non super jure patronatus, accessoriè tantum & accidentaliter se habent. Quod si tamen jus patronatus non tam bonis talibus venditis, quam personæ vendenti annexum sit, non transit accessoriè, etiam per venditionem omnium bonorum, etiam jus patronatus, cum in tali casu conferretur specialiter jus patronatus venditum, quod Simoniam sapit; & quamvis in hæredem jus patronatus etiam personale transeat, defuncto

patrono, quia hæres eadem persona cum defuncto juris fictione habetur, non tamen transit in emptorem, ubi nulla talis jurisfictio quasi eadem persona emptor cum venditore esset, intervenit.

## §. V.

An & qua ratione jus patronatus permolari, vel in feudum, aut Emphyteusim, vel in pignus dari possit?

**C**um consensu Episcopi, cujus est præcavere Ecclesie, & impedire Simoniam, ut dictum, potest jus patronatus cum simili jure permolari; neque tamen novus patronus statum Ecclesie, aut illius rectorem pro placito mutare potest, prout sumitur ex *c. que Simoniam. 9. h. t.* cum alia potestas patrono non competat, quam ut, beneficio patronato vacante, præsentet, res Ecclesie defendat, & excessus rectoris, vel beneficiati denuntiet Episcopo; & quamvis in feudum vel emphyteusim jus patronatus solitariè acceptum dari non possit, cum non sit pretio æstimabile, sicuti tamen accessoriè cum re, cui universitas honorum competit, vendi potest, sic etiam in feudum, & Emphyteusim accessoriè cum bonorum universitate accedi potest, prout sumitur ex *c. cum saenulum 13. h. t.* si tamen talis res, cui bonorum universitas, & inter hæc etiam jus patronatus annexum est, creditori in pignus detur; jus patronatus non transit in eum, *c. Cum Bertholdus 18. junct. Gloss. verbo: Patroni de sent. & re jud.* cum pignus non transeat in creditorem,

Hhh 2

quo-